

enim in principio ratio cur sit principium. Dixi aliquo modo distingui; non enim necesse est, ut quoad essentialiam distinguatur. Sic Pater in divinis vere est recteque dicitur principium Filii, licet eadem numero essentialia in utroque habeatur. Sequitur 2. adesse necessariam connexionem inter principium et principium; ita namque se habent et mutuo se respiciunt, ut unum ex altero colligatur. Sequitur 3. principium esse suo principio aliquo modo posterius; ideo namque habetur principium, quia datur principium. Dicitur est pariter aliquo modo esse posterius principium suo principio, ab eoque pendere, quia satis est, ut hæc posterioritas sit ordinis, non autem temporis, atque hæc dependentia sit solius relationis, prout in divinis contingit (1).

Causa in genere dicitur principium influens esse in aliud; seu clarior, causa generatim sumpta est id quod rationem continet cur aliquo modo habeatur aliud, natura distinctum. Quod autem a causa suum esse recepit, effectus nuncupatur. Causa itaque dicitur principium, quod stat loco generis. Omnis enim causa principium est, cum rationem contineat, cur sit effectus; at vero non omne principium est causa, cum non sit de ratione principii, ut a suo principio natura distinguatur Pater proinde in creatis est vere causa filii, at in divinis non est nisi principium; quia in creatis essentialia seu substantia patris ab essentialia seu substantia filii prorsus distinguitur non autem in divinis. Notandum porro est græcos interdum vocare patrem causam filii, at causa nomine intelligunt principium, sensu a nobis exposito, id est, intrinsecum, non autem extrinsecum.

Generatio post s. Thomam, p. 1, q. 27, art. 2, passim definitur origo viventis a principio vivente conjuncto in similitudinem naturæ. Hæc autem similitudo debet esse speciei, non vero generis tantum, ut ibidem exponit s. Doctor. Plura de generatione videri possunt apud Suarez, *De Trinit.*, lib. IX, cap. 1 et seqq. (2).

(1) Plura cfr. apud Fortun. a Brixia, *Philos. mentis*, tom. II, pag. 4, diss. IV, sect. 4, definit. 1 et seqq.

(2) Juvat hic in medium afferre definitionem generationis, quam dedit Aristoteles; siquidem ab ipsa magna ex parte ortæ sunt contentiones arianorum. Generatio itaque ab Aristotele definitur: « Ex eo, quod omnino non est, in substantiam facta mutatio, per quam res simpliciter fieri, non aliquid fieri dicitur. » Ex hac porro definitione, quemadmodum patet, sequitur, ut ea quæ generantur, sic se habeant, ut antea non existerent, neque in substantiis numerarentur, transferantur in classem substantiarum, ac progressum faciant ad existentiam. Hanc vero definitionem adoptantes ariani, et transferentes ad divina, in scilicet ac impie simul dixerunt de non extantibus venisse filium, et fuisse aliquando tempus, quando non erat. Quod cum sæpe recantarent, neque ad officium redire velent, ecclesia eos proseripsit, ut cum suo Aristotele saperent, neque rem catholicam perturbarent. Errabant etiam maxime, quod in hac definitione nihil differat generatio a creatione. Res enim per creationem ad existentiam transeunt ex non existentibus, et ex non substantiis transeunt in numerum substantiarum. Et tamen ipso lumine rationis et communi sentiendi et

Processio est origo unius ab alio; potest autem esse vel ad intra, ut dicitur, vel ad extra, et quidem, ut docet s. Thom. loc. cit., semper debet esse per aliquam actionem, vel immanentem vel transeuntem. Hinc magis patet processio quam generatio; omnis enim generatio est processio, at non omnis processio generatio est.

Relatio est ordo seu habitudo unius ad alterum. Duo proinde extrema relatio poscit, unum quod se refert, aliud ad quod refertur. Iste autem ordo vel mutus est in utroque extremorum, vel non est mutus, sed tantum ex parte unius extremi; sic tectum refertur ad domum, etsi hæc non referatur ad tectum. Si mutus est, ut creator et creatura, dominus et servus, pater et filius, etc., qui referuntur ad se invicem, perfecta datur oppositio relativa, qua sola mutuo se distinguunt; si vero mutus hic ordo non sit, oppositio relativa erit imperfecta. Notandum est autem ad veram relationem constituendam necesse non esse, ut oppositio intercedat inter substantias, sed satis esse, ut intercedat oppositio modi, quo termini sive extrema ad se invicem referantur (1).

Si oppositio sit inter substantias, dicitur ad aliud; talis est oppositio, quæ in creatis intervenit. Si tantum sit circa modum, relatio dicitur ad alterum; talis est oppositio, quæ habetur in divinis. In his enim, inquit concilium Lateran. IV, cap. 2, quolibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentialia seu natura divina. Et illa res non est generans, nec genita, nec procedens; sed est Pater, qui generat, et Filius, qui gignitur, et Spiritus Sanctus, qui procedit. Ex his intelligimus naturam divinam rem illam esse, quæ sub triplici respectu a qualibet persona peculiari modo ex integro participatur seu afficitur.

Oh materiæ necessitudinem nonnulla adhuc subiicienda sunt de voce ingeni, qua adeo abusi sunt veteres eunomiani (2). Triplici sensu vox ista accipi potest, vel quatenus significat non factum seu non creatum (3); vel quatenus significat non generatum (4), loquendi usu certissimum est hæc duo differre. Ad generationem sufficiunt creaturæ, quibus est impossibile vel atomum ad existentiam producere per creationem, quæ uni Deo competit.

(1) Fundamentum relativæ denominationis est ita per quod termini sunt proxime relative denominabiles, sic actio, qua Petrus Paulus generat, est fundamentum relativæ denominationis patris, quæ Petro tribuitur; est enim id in Petro, ex quo cognito determinatur mens, ut Petro relativam patris denominationem tribuat, utpote id, per quod Petrus est proxime capax, ut pater Pauli dicatur. Scholastici hoc vocant rationem fundandi sive fundamentum proximum relationis. Rigidiore scholastici præterea contendunt, præter fundamentum proximum relationis, formam nescio quam superaddendam rebus esse, ut ipsæ relativæ dicantur, alii vero id negant. Nos absque dispendio, imò fortasse magno temporis lucro, possumus ipsis dimittere hæc questiones; quas si agitare placeat, cfr. Fortunatus a Brixia, loc. cit.

(2) Inferius horum vafritium in abusu vocis ingeni aperiemus.

(3) Quo sensu græce ἀγέννητος scribitur unica v. interjecta. Hæretici, qui nunquam bona fide pu-

vel demum prout exprimit non emanatum; sive creatione, sive generatione, sive productionis alio genere quocumque. Primo sensu communis est tribus personis, æque enim nec factæ, nec creatæ sunt; imò et ipsi conveniunt divinæ essentiali. Secundo sensu communis est Patri et Spiritui Sancto, neuter quippe generatus est. Postremo sensu solius Patris propria est, utpote qui solus sit principii ejusdemque expers et originis.

Verum ingenti vox, hoc tertio sensu explicata, bifariam accipi potest, negativè scilicet ac privative. Negativa vocabula ea sunt, quibus removemus a subiecto affectionem aliquam, quæ nequeat prorsus illi convenire, ut cum Deum dicimus immortalem, incorruptum, etc.; privativa vocabula ea dicuntur, quibus significamus non adesse in subiecto aliquo proprietates, quæ cum illo possunt coherere, ex. gr. cæcitas, amentia in hominibus. Hinc si vox ingenti divinæ essentiali tribuitur, negativè sumitur; si Patri tribuitur, qua persona divina tantum est, privative accipitur; si vero de Patre dicatur, quatenus Pater est, tunc negativè sumitur, et exprimit notionem quandam primæ personæ propriam, qua negatur in Patre productio quacumque. Notio enim est id, quo personas valemus alteram ab altera secernere atque internoscere.

Patet igitur ex dictis ingentium nec substantiam significare, nec qualitatem, nec relationem, nec positivum quidquam, sed relationis potius negationem; seu exprimere Patrem non esse a principio, ut a principio sunt aliæ duæ personæ.

Observandum denique est veri longe similis vocem personæ esse relativam in divinis, et non absolutam, ac primario et directe relationem exprimere, secundario et in obliquo, seu indirecte, designare substantiam (1). Relativa pariter sunt nomina Patris,

quant, utramque olim significationem permutabant, ut deciperent incautos. Cfr. s. Joan. Damasc. *De fide orthod.*, lib. I, cap. 8, cum nota i Le Quien, qui observat veteres hanc distinctionem agnovisse, inter quos reperitur auctor *Dialogorum adv. Arianos*, qui Athanasio adjudicantur; et jam primum s. Greg. Nazianzenum prælusisse, *Orat.* xxiii, et s. Epiphanius, *Hæres.* LXIV, aperte observasse omnino differre γεννητός et ἀγέννητός, ut hoc genitum, illud ereatum et conditum significet. Nam prima vox a γενναί, sic provenit, altera vero a ἀγενναί gigno.

(1) Magna scribitur inter theologos concertatio, utrum personæ vox directe substantiam significaret, indirecte vero relationem, an contra. Videri potest Vasquez, in i. p. s. Thomæ tom. II, disp. cxxvii, cap. 1 et seqq., præsertim cap. 2, ubi statuit cum s. Thoma nomen personæ significare formaliter et directe substantiam; materialiter sed directe, relationem; essentiali autem consequenter; qui sic mediam quandam viam amplectus est, ad primas duas opiniones conciliandas. Attamen Petavius, *De Trinit.* lib. IV, cap. 11, § 1, primum animadvertit personæ vocem ex eorum esse nominum genere, quæ concreta dicuntur, hoc est, e duobus complexa, quorum alterum subiecti instar est, alterum formæ, quæ subiectum afficit, quamvis reipsa in Deo nihil sit ejusmodi, nec ulla pars aut compositio, nos tamen sic eum cogitatione describimus, quasi quiddam insit in illo, quod subiecti vicem habeat, quiddam alterum formæ. Quare persona di-

Filii, et Spiritus Sancti, quæ primario proprietates, secundario substantiam significant; secus ac evenit in voce Dei, quæ primario naturam, secundario personam significat.

Et hæc de his vocibus ac denominationibus hic in tractatus limine defibasse sufficiat, ad tricas præcavendas hæreticorum, eorumque facilius suo loco fallacias detegendas.

CAPUT II.

DE NUMERICA DIVINÆ ESSENTIÆ UNITATE IN TRIBUS PERSONIS.

Fidei nostræ dogmata non ex ratione, sed ex revelatione probari debent; id est, debet inquiri, utrum Deus revelaverit nobis nec ne hoc vel illud dogma seu mysterium. Si constet de hoc facto, Deum nempe re ipsa aliquid dogma revelasse, credendumque nobis proposuisse, homo firmiter assentiri ei tenetur. Non aliunde autem nobis constare potest Deum revelasse nisi ex Scripturis Sacris ac traditione, quarum custos et interpretis ecclesia est, juxta ea quæ a nobis constituta sunt in tractatu *De vera religione*, part. II, propositionum serie, quas illic evolvimus ac vindicavimus.

Hæc via propterea incedentes, dimittimus questionem, utrum, supposita etiam revelatione, demonstrari ratione possit nec ne existentia sanctissimæ Trinitatis; quod aliqui affirmant, alii negant (1). Rationis munus proprium est ostendere nullam in hoc, quemadmodum nec in alio quocumque religionis nostræ, mysterio repugnantiam inveniri; quod quidem præstabimus

vina ex natura, sive essentiali, velut subiecto, et proprietate, quæ tanquam forma est relativa, compositur. Sed ambigitur utram partem proprie ac per se directæque notionem personæ significet. Deinde, excussis diversis veterum et recentiorum sententiis, concludit § 9, juxta græcorum latinorumque patrum nec non conciliorum auctoritatem, personæ vocabulum directa et, ut loqui solent, formali significatione non essentiali, sed proprietatem relativam in Deo notare, indirecte ac subobscure essentialiam sive substantiam. Aperit præterea originem hujus disceptationis, ortæ ex diversa conceptione apud veteres vocis substantiæ quæ interdum personæ nomine designabatur. Caus. loc. cit.

(1) Inter ceteros, qui perhibentur, supposita revelatione, voluisse ostendere existentiam ss. Trinitatis, eminet Hugo Victorinus s. Bernardo coævus, *De Sacram.* lib. I, cap. 11; Richardus item Victorinus, in opere *De tribus appropriatis personis in Trinitate*, ad D. Bernardum; ac præsertim celeberrimus Card. De Chusa, tum in opere *De docta ignorantia*, lib. II, cap. 24 tum in lib. *Posses.*, cap. 7; lib. *De Berrillo*, cap. 22 et seqq.; lib. *De venatione sapientiæ*, cap. 24; lib. IV *Exercitation.* serm. ult.; item in lib. *De pace fidei*, cap. 7 et seqq., ubi suggerit methodum rationandi, quæ indis et chaldæis persuadeat; in *Cribratione alcorani*, lib. II, cap. 3, 4, 5 (Vid. hæc in duobus prioribus tom. opp. edit. Basil. 1565). Ipsi præverat s. Anselmus; lib. *De fide Trin.*, cap. 2. Ex recentioribus laudantur Hermeneg. Pin, ex Cong. s. Pauli, in *Protologia*; Cl. Mastrolini, in opere cuius titulus: *Metaphysica sublimior*, cujus nominis vol. I, typis excusum est, Romæ 1816, demum Th. Vincenzii Falletti, Canon. regul. in opere: *Lo studio analitico della religione*, vol. II, capp. 8 et 9, Roma 1827.

solvendo difficultates, quæ ab ejus impugnatoribus ex ratione proferuntur.

Ex duplici proinde fonte revelationem mysterii ss. Trinitatis ostendemus, ex Scriptura et ex perpetua traditione, seu ecclesiæ fide ac professione. Rursum cum ejusmodi revelatio nobis duplici ratione constare possit, tum *directe*, per ea scilicet testimonia, quæ loquuntur de tribus divinis personis in essentiæ unitate, tum *indirecte*, per ea, quæ divinitatem personarum singularum adstruunt, hinc ea omnia, quæ proferemus ad evincendam existentiam Trinitatis in unitate essentiæ, pariter evincunt divinitatem uniuscujusque personæ, et ea, quæ exhibebimus ad probandam divinitatem harum singularum personarum, probabunt pariter mysterium Trinitatis in essentiæ divinitate; non enim in partes scindi divinitas potest.

Etsi autem prius ex testimoniis biblicis ostendamus mysterii propositi veritatem, ac postea ex sensu traditionali, non propterea has disjungimus probationes, quæ mutuo se complectuntur; sed solum, ut ordinem et perspicuitati consuleremus, id a nobis præstitum est.

PROPOSITIO I. — Tres sunt in una divina essentiæ personæ realiter distinctæ.

Probatur primo ex sacris litteris generalim.

Hæc propositio est de fide, ut constat tum ex superius recitatis symboli Athanasiani verbis, tum ex omnibus catholicæ fidei professionibus, atque ex Conc. Later. IV, cap. *Firmiter*, cujus verba superius pariter retulimus.

Licet neque pauca neque obscura occurrant in Veteri Testamento testimonia, in quibus pluralitas prædicatur personarum, ut Gen. I, 26: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*; ibid. III, 22: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; quæ non nisi per vim de Deo secum colloquente, atque absurde tanquam ad Angelos dicta, exponi possunt; nec non ea, quæ passim leguntur sive in Psalmis, præsertim II, 7: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te*; et Psal. CIX, 4: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis*; adhibita præsertim expositione tum Pauli tum Christi ipsius (1), sive alibi sæpe; cum tamen expressam trium distinctarum personarum, in eadem divina natura subsistentium, doctrinam Christus Dominus patefecerit, ideo ex Novo Fœdere potissimum veritatem propositi dogmatis ostendemus.

Ac I. quidem apertissima sunt Christi verba, Matth. ult., *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Quibus verbis tres personas realiter distingui ostendit parti-

(1) Cfr. Prud. Maran cong. S. Mauri præclarissimum opus, quo sæpe utemur in decursu hujus tract. *Divinitas D. N. J. C.* vol. I, fol. Paris. 1746, p. 4, lib. I, cap. 4; Petav. *De Trin.* lib. II, cap. 7; cfr. etiam *Dissert. ad Gen.* I, 26 pro ss. *Trinitatis mysterio contra Judæos et hæreticos omnes antitrinitarios*, in Collegio Romano proposita, a Petro Curti, S. J. inserta Thesauri Theologico P. Zaccariæ, tom. III, pag. 20, Venetiis 1762.

cula copulativa et; unam autem designari atque individuum trium harum personarum essentiæ illud in nomine patefacit, quo significatur gratiam regenerationis et renovationis, qua filii Dei efficiuntur ejusque famulatu mancipamur, acceptam referri debere Deo, in tribus personis subsistenti (1); perinde enim valet vox illa in nomine ac in auctoritate, virtute et efficientia, prout biblica ipsa documenta testantur (2).

Nec minus insigne est ad rem nostram testimonium, quod occurrit Joan. XV, 26, ubi Christus ait: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. Tres ibi pariter distinctæ commemorantur personæ *Pater, Filius, Paraclitus*, et quidem eadem divina natura præstantes; altera enim est Filius, ejusdem ergo naturæ cum Patre; altera vero a Patre procedit, non igitur facta, aut creata, sed a Patre emanans eo sensu, quo Filius dicit de se ipso, quod exierit a Patre (Joan. XVI, 27, 28). Huc pariter referuntur verba Christi (id. XIV, 16): *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*. Tres enim personæ in vocibus *Ego, Patrem et Paraclitum* inducuntur per mutuum relationem ac comparisonem Filii ad Patrem et Paracliti ad Filium, ut pronomen *alium* declarat, quasi diceret: Ea ratione, qua *Pater* dedit *Mé* vobis, qui Paraclitus sum, sic, cum ego abiero, dabit vobis *Paraclitum alium*. Quod vero unius pariter substantiæ sint tres istæ personæ, patet ex totius orationis serie; cum enim Philippus, desiderio tactus videndi Patrem, sic Christum fuisset percontatus: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis; dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem*. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? verba, quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor; Pater autem in me manens, ipse facit opera (Joan. XIV, 8 et seqq.). Jam vero I. in his una prædicatur Patris ac Filii efficientia et actio, quæ unicam expostulat substantiam; 2. communitio Patris in Filium ac vicissim, quæ dari non posset absque identitate naturæ; 3. affirmatur uno viso alterum videri; quod consequens non esset, si diversa foret Filii a Patre substantia; nam in hoc casu viderentur duo plane distincta ac diversa (3). Quoniam vero tertia persona,

(1) Inepte prorsus querunt unitarii pedem referre ex angustiis, in quas eos conjicit præscripta a Christo baptizandi forma, dum illud in nomine de baptismo Patris et Filii, etc., interpretantur vel de doctrina vel de discipulatu, etc., quæ interpretationes omnes violentæ sunt et obvio sensui contrariæ, ut inferius ostendemus. Cfr. Maran opere cit. part. 2, lib. I, cap. 17, § 2; Petav. *De Trin.* lib. II, cap. 12, § 8.

(2) Cfr. inter cetera Act. III, 6: *In nomine J. C. Nazareni surge*, etc.; et cap. 4, 10: *In nomine D. N. J. C.* in hoc iste adstat coram vobis sanus; Marc. ult.: *In nomine meo demonia ejicient*, etc. Et alibi passim. Ex quibus evidens fit idem esse baptizari in nomine ac in potestate, auctoritate, efficientia trium personarum, in quas credimus et speramus.

(3) Cfr. apud Petav. *De Trin.* lib. II, cap. 11, § 40 et seqq. plura Patrum testimonia, quæ insignem hunc locum exponunt, ostendentia ex eo eandem inesse Patri ac Filio naturam.

qualis ibi describitur, vere Paraclitus est, perinde ac Filius, cum dicatur a Patre procedere, quemadmodum de Filio dicitur, quod processerit a Deo (Joan. VIII, 42) et exiverit a Patre (Joan. XVI, 27), necesse est et illam cum Patre et Filio in divina eadem et unica coherere natura. Tres igitur in citatis testimoniis designantur personæ subsistentes in eadem essentiæ divina.

Denique, ceteris omissis, eadem veritas confirmatur ex verbis: *Audite audientes, et nolite intelligere*, quæ dicta a Deo Patre testatur Isaias (cap. VI, 9), prolata a Deo Filio exhibet Joannes (cap. XII, 40, 41), dicta a Deo Spiritu Sancto docet Apostolus (Act. XXVIII, 26); cum eadem propterea personis singulis tribuatur efficientia ac prædicetur gloria et majestas (1), una igitur trium distinctarum personarum Deitas prædicatur. Quare optime s. Basilius, hæc expendens, ait: *Propheta inducit Patris, in quem Judæi credebant, personam; Evangelista, Filii; Paulus, Spiritus, illum ipsum, qui visus fuerat, unum Dominum Sabaoth communiter nominantes. Sermonem, quem de hypostasi instituerunt, distinxere, indistincta manente in eis de uno Deo sententia* (2).

Hæc autem hisque similia biblica testimonia majus lumen etiam accipiunt ab iis, quæ proferemus, cum de Filii ac Spiritus Sancti divinitate seorsum disseremus. Ista interea, quæ allata sunt, nisi vim ipsis inferamus, aperte evincunt, quod primo loco ostendendum assumpsimus, tres realiter distinctas personas in essentiæ divinitate in sacris litteris prædicari.

DIFFICULTATES.

I. Obj. cum Wegscheider (3). 1. nullus exstat Scripturæ Sacræ locus, quo univèrsa illa doctrina claris et distinctis verbis tradita atque finita sit, nullus, quo vel vocabulum *Trinitatis* reperitur, vel personarum in Deo distinctio earumque *hypostasi* (*consubstantialitas*) commemoretur. 2. Nobilis vero

(1) Cfr. apud Maran, op. cit. lib. I, part. 2, cap. 17, § 5, qui totam hanc argumentationem in pleno suo lumine posuit.

(2) *Contra Eunomium*, lib. V, tom. I, pag. 501, edit. Maurin. Paris. 1721: *Ὁ προφήτης τοῦ Πατρὸς ἐσηγήταί τε πρόσωπον τοῦ πατρὸς ἰουδαίου πεπιστευμένου ὁ εὐαγγελιστὴς τοῦ υἱοῦ ὁ Παῦλος τοῦ πνεύματος ἕνα κύριον σαβαὸθ τὸν θεὸν ἁρθέντα κοινῶς ὀνομάζοντες. Διήρηται αὐτοῖς ὁ περὶ τῆς ὑποστάσεως λόγος, ἀδιαιρέτου μένοντος ἐν αὐτοῖς τοῦ περὶ ἐκείνου ὁμοῦ ὀνομασίου.*

(3) § 79-80. Hic adnoto me libentissimo animo rationalistarum argumenta proferre, tum quia quidquid ab ipsorum antesignanis, socinianis, et a veteribus arianis prolatum est, perinde ac si catholici nihil unquam contra hiscere ausi fuerint, confidenter corrogant congeruntque, una superaddita exquisitoris cujusdam impietatis ac malitiæ appendicæ; quare dum recentiores isti profligantur, antiquiores illos etiam, quorum armis utuntur, profligari necesse est; tum quia apertissime exinde patebit, quam tandem exigui rationalistæ sint, qui sibi met imperitiosque tanti videri solent, quique penitentiorem quamdam, nusquam alias excogitatam, trucidatam scientiam ostendere satagunt; tum demum, quia eos a nemine hætenus ex professo confutatos video.

PERRONE. I.

ille locus qui mandatum baptismale exhibet, apud Matth. XXVIII, 19, huic dogmati speciem sententiæ ab ipso Jesu Christo profectæ videtur conciliasse; quo loco etsi Pater Filius et Spiritus Sanctus vere distinguantur, Filium tamen et Spiritum Sanctum ejusdem cum Patre et essentiæ et dignitatis esse neutiquam probatur, nec aliud quidquam ibi præcipitur, nisi hoc, ut christiani ea religione obstringantur, quæ Deum esse Patrem hominum, Jesum Messiam, et Spiritum Sanctum singularem quamdam Dei vim, personæ forma indutam, etc. (Matth. III, 16; XII, 31, 57 coll. Luc. I, 35; Act. X, 38), incrementa atque effectus novæ religionis in animis hominum promovere doceat (Act. XIX, 2-6; I Cor. II, 40 et seqq.; XII, 5 et seqq.). 3. Eadem fere ratio est dicti, quod extat II Cor. XIII, 13, ubi Apostolus christianis præcatur, ut favor Domini Jesu Messie et amor Dei illis contingat, et ut Spiritus Sanctus ejusque dotes cum illis communicentur. 4. Neque magis dogma illud probari potest altero loco Matth. III, 16-17, quo Jesu Messie per baptismum inauguratio, sub velo quodam mythico enarratur. 5. In ceteris autem, quæ adduci solent, testimoniis I Cor. XII, 4-6; I Petri I, 1-2; Rom. XV, 30; Tit. III, 4-6, neque trium in Deo personarum neque *hypostasi* (*consubstantialitatis*) earum ulla fit mentio. Ergo.

Resp. Ad 1. *Neg.* Non unus enim tantum vel alter locus, sed plura loca Scripturarum proferuntur a catholicis, ad ostendendum Trinitatis dogma; ut patet etiam ex probationibus a nobis adductis, ex quibus tum trium personarum distinctio, tum earumdem in divina essentiæ unitas patefactæ sunt, ideoque et *hypostasi* sen *consubstantialitas*. Quid vero refert, si non occurrat in Scripturis vel personæ vel trinitatis nomen, si constet ex iisdem de re? Non enim de nominis, sed de rei existentia agitur (1); hæc enim constituta, nomina per se profluunt.

Ad 2. sive ad 1. prob. *Neg.* Nam non solum speciem videtur conciliasse huic sententiæ seu dogmati

(1) Quod si existerent hæc nomina in Scripturis, nonne ea pariter rationalistæ eluderent juxta principia a se posita? Certe in Scripturis Christus passim *Deus* et *Filius Dei* nominatur, ut inferius videbimus, *Spiritus Sancti* frequens pariter mentio fit: nunquid propterea ipsi Christum Deum confitentur, et Spiritum Sanctum ut personam subsistentem habent? Ad eludendam potius omnium horum testimoniorum biblicorum vim, quæ distinctionem personarum in unitate naturæ exhibent, sic scribit Wegscheider, § 79: *Exstant in libris Novi Testamenti Pauli maxime et Joannis dicta, quibus Filius Dei et Spiritus Sanctus in aliquam divini honoris societatem admitti videantur; quorum duplex classis distingui solet, altera eorum, quibus Pater, Filius et Spiritus Sanctus simul commemorantur, altera eorum, quibus singillatim de illis exponitur. Ad recte intelligenda utriusque generis dicta, probe tenendum est, non propria Jesu Christi verba illic referri, sed partim ejus effata, prout ab aliis aliter intellecta et per traditionem varie exornata fuerint (quasi Joannes Christi effata ab ipsius ore non exceperit, tanta est rationalistarum impudentia!), partim singulorum scriptorum sacrorum judicia (quibus profecto antefendum est judi-*

(Seize.)

mandatum baptismale, sed fundamentum exhibet dogmatis catholici. Etenim observatum est Filium dici et appellari per comparationem ad Patrem, et Spiritum Sanctum per comparationem ad Patrem, et Filium, ideoque tres distingui personas; cum autem in baptismo agatur de regenerationis gratia, quæ in nomine harum trium personarum confertur, et quibus propterea dedicamur, merito inferitur ex voce illa in nomine æqualitas ac unitas trium personarum in natura divina.

Sic *neg.* per baptismi formulam non aliud præscribi, nisi ut christiani ea religione obstringantur, quæ Deum patrem hominum, Jesum Messiam, et Spiritum Sanctum ut singularem Dei vim exhibeat; 1. quia hæc interpretatio *nova* est, et ante socinianos et rationalistas inaudita, et cui obstat sensus traditionalis totius antiquitatis (1); 2. quia est *absurda*, baptizarem enim in nomine seu auctoritate et efficientia *vis* et *efficientiæ* Spiritus Sancti; 3. quia est *violenta*, quis enim verba Christi, prout sonant in sensu obvio, audiens, intelligat patrem hominum, Messiam et efficaciam? 4. quia est *contraria* aliis Scripturæ textibus, præsertim Joan. XV, 26; XIV, 16, superius adductis, in quibus Christus exhibet Spiritum Sanctum ut personam subsistentem, quæ procedit, operatur, et eum vocat *alium* respectu sui ipsius; nisi igitur impie dicamus vel Christum non esse personam, sed prosopopœiam et vim, vel improprie imo et insulte esse locutum, Spiritus Sanctus neque prosopopœia est, nec simplex *vis* et *efficientia* (2).

Dices, I Cor. X, 2, Israelitæ perhibentur baptizati in Moyse, in nube et in mari; et ipsa ecclesia Romana in animæ commendatione precatur: *In nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, in nomine Angelorum*, etc. Ergo formula *In nomine Patris*, etc. neque importat per se distinctionem et subsistentiam personarum, ut liquet ex primo textu, neque æqualitatem dignitatis et naturæ, ut patet ex ecclesiæ oratione.

Resp. *Neg. conseq.* et paritatem. Nam in primo textu dicuntur Israelitæ baptizati in Moyse, in nube, etc.; non autem in nomine Moysis et nubis et ma-

ciam rationalistarum) nec ubivis sibi consentanea (en quid sentiant de scriptoribus sacris isti novi protestantes!) nec satis perspicue enunciata.)

(1) Ubi notanda est parum sibi coherens neoteri-corum biblicorum agendi ratio. Ipsi a Deo extollunt in hermeneutica regulam *usus loquendi*, uti vocant, quem statuunt velut primarium criterium interpretationis exclusæ interpretatione ecclesiæ. Quando vero provocantur ad sensum traditionalem perpetuum antiquitatis, quæ profecto est testis legitimus hujus *loquendi usus*, nihili illam faciunt, et sensui antiquitatis privatam interpretationem opponunt.

(2) Hos textus, in quibus maxima vis est, dissimulant adversarii nostri, quasi neque existerent, ut sic impune possint detorquere in alienum sensum formulam baptismatis. Ceterum quæ ipsi effutunt de Spiritu Sancto, nempe ipsum esse *efficientiam*, etc. idem loco redarguemus, ubi de persona Spiritus Sancti sermo nobis erit.

ris. In oratione ecclesiæ, eo ipso quod dicatur distincte in nomine Angelorum et Archangelorum, etc., distinguitur dignitas ac natura Angelorum et Sanctorum, qui invocantur, ut intercedant apud Deum, a Deo ipso, seu a Patre, et Filio et Spiritu Sancto.

Ad 3. seu 2. prob. *Dist.* Si solitarie accipiatur dictum Apostoli non est prorsus demonstrativum, *Tr.* una cum ceteris. *N.*

Ad 4. seu 3. prob. *Neg.* Etenim tres ibi distinctæ personæ aperte commemorantur, persona Filii baptizati, persona Spiritus Sancti, quem Christus vidit descendentem sicut columbam et venientem super se (Matth. III, 16), sive ut dicitur apud Lucam: *Et descendit Spiritus Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum* (Luc. III, 22), et apud Joan. I: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam de celo, et mansit super eum* (Joan. I, 32), et persona Patris dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (1) et majori etiam vi in græco textu per articulum ϵ , ut hic distingueretur a justis, qui non sunt filii Dei nisi per adoptionem. Quod si Filius Dei naturalis Christus est, hoc ipso est *consubstantialis* Patri, ut inferius apposite ostendetur, sicuti et de Spiritu Sancto.

Quod vero additur *de inauguratione sub velo mythico*, cum totum gratuitum sit atque ex penu rationalismi unice depromptum, quod consistere nequit sive cum scriptorum sacrorum veracitate, sive cum inspiratione divina, rejicimus ut impium et falsum ac toti antiquitati contrarium (2).

Ad 5 seu 4. prob. *D.* Scorsum sumpta, *Tr.* una cum affis quæ adducta sunt. *N.* Nempe hæc scribebant apostoli in citatis locis coherentem ad fidei doctrinam, quam ecclesiis a se institutis prædicaverant, qua supposita, illis formulis apertissime alludunt ad Patrem, Filium et Spiritum sanctum a se prædicatos, et in quorum nomine initiaverant fideles. Nisi enim hoc constituatur fundamentum, locutiones illæ fiunt prorsus ænigmaticæ; eo constituto, aperte intelliguntur (3), sunt igitur ea loca totidem ineluctabilia

(1) Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Matth. I. c.

(2) Quando rationalistæ aliquid inveniunt in Scripturis, quod in alienum sensum detorquere nequeunt, confugiunt tanquam ad extremam in naufragio tabulam ad mythos.

(3) Etenim I Cor. XII, 4-6, aperta fit mentio trium personarum, ubi dicitur idem Spiritus, idem Dominus, idem Deus auctor divisionum gratiarum; nisi supponatur cognitum Corinthiis mysterium Trinitatis ipsis ab Apostolo prædicatum, hæc verba nullum sensum præ se ferrent; sed illo posito, poterat Apostolus ad illam fidei formulam alludere, et certus erat se ab ipsis intelligi. Sic Rom. XV, 30, ubi idem Apostolus scribit: « Obsecro vos, fratres, per Dominum N. J. C. et per charitatem Sancti Spiritus, et adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum; » ubi rursus tres personæ distinctæ recensentur. Eadem occurrunt Tit. III, 4-6, aliisque in locis ab adversario indicatis, in quibus perpetuo fit allusio ad receptam apud christianos fidem circa Dei unitatem et Trinitatem personarum.

testimonia fidei traditæ ab apostolis, ac proinde existentiae dogmatis nostri.

I. Inst. Sunt quidem varia dogmatis semina in ipsis libris sacris, ab interprete candido haud negligenda, sed 1. eadem explicari debent *partim* e philosophematibus quibusdam judaicis et platoniceis, quæ quidem ævi incultioris indolem redolentia jam ante religionis christianæ originem divulgata erant; 2. *partim* ex pio quodam in magistrum divinum reverentiæ sensu, quo imbuti librorum sacrorum auctores vel Jesu ipsius de Messiana sua dignitate sententias vel narrationes de singulari Jesu factis fatisque mythicas, quarum multæ satis mature jam prædicant (cf. Luc. I, 1), pro suo quisque ingenio atque judicio varie intellectas conceptasque, litteris tradiderunt et amplificaverunt (1).

Resp. ad 1. *Neg. antec.* Revelatio enim divina, seu veritates divinitus revelatæ non per philosophemata, sive judaicæ sive platonice aut aristotelicæ, explicari, aut exponi debent, sed per sensum traditionalem, per auctoritatem Ecclesiæ columnæ et firmamenti veritatis, ut suo loco ostendimus (2); alioquin de nulla veritate nobis constare posset. Hoc est inventum sero nimis inductum a rationalistis omnem revelationem et fidem rejicientibus, qui majori reverentiæ sensu feruntur erga Cicéronem et Tacitum aliosque profanos scriptores, quam erga scriptores sacros, ut mox videbimus. Negamus præterea doctrinam Judæorum, prout eruitur ex Sacris Litteris, vocari posse aut esse philosophemata; judæos porro non omnino latuisse Trinitatis dogma, vel saltem Personarum in Deo pluralitatem, non pauca suadent documenta, tum ex Sacris Litteris (3), tum ex aliis eorum scriptis eruta (4). Quod vero attinet ad phi-

(1) Wegsch. ib. § 92.

(2) Tract. *De vera relig.* part. 2, prop. 3.

(3) Innumera prope sunt testimonia in V. T., in quibus de pluralitate personarum in Deo, ac præsertim de divinitate Verbi seu Filii aperta mentio fit; quæ collegit et expendit Cl. Maran, op. cit. lib. I, cap. 1 ad 17. Sane doctrinam hanc judæos minime latuisse, ex iis, quæ habentur in N. T. certissime constat. Cum enim Angelus B. Virginem alloqueretur (Luc. 1, 31 et seqq.), loquitur de Filio Dei ac de Spiritu Sancto. Sic etiam (Matth. 1, 20), alloquens s. Josephum; item (Marci 1, 8) Joannes Bapt. disserit de baptismo conferendo a Messia in Spiritu Sancto, et alibi passim habentur similia, quin tanquam de novitate miraretur quispiam.

(4) Plura Judæorum rabbinorum testimonia aliaque eruta ex antiquis Judæorum scriptis, in quibus sermo fit de ss. Trinitate ab ipsis cognita, vid. apud Raymundum Martini in *Pugione fidei, cum notis et observationibus Jos. Du Voisin*, edit. Carpzovii, Lipsiæ 1687, pag. 444, 596 et seqq., 417 et 459, prout nempe notantur in margine juxta primam edit. Parisiensem 1651. Hoc ipsum copiosius præstitit, et clarissimo in lumine postea collocavit omni documentorum genere Cl. Drach, *Deuxième lettre d'un Rabbin cowerti*, Paris 1817, toto cap. 1. Imo nec defuit, qui ex recentioribus protestantibus hoc argumentum illustraverit; cf. E. W. Hengstenberg, *Christologie des alten Testaments*, etc. seu, *Christologia Veteris Testamenti*, etc. Berolini 1824, præsertim pag. 216 et seqq., qui id etiam tuetur adversus absurdas hypotheses et expositiones Clerici, Sack (qui

losophemata platoniceis, dicimus tantum abesse, ut originem dederit huic dogmati, ut hæretici, qui istud temerare ausi sunt, vel ex illa schola platonice prodierint, vel saltem ex platoniceis placitis commenta sua hausserint, ut inferius dicemus (1).

Ad 2. *Neg. 1.* Quia alioquin actum esset de scriptorum sacrorum veracitate et inspiratione. 2. Quia sequeretur auctores sacros ex pio affectu, seu potius ex assentatione in magistrum suum graviter mentitos fuisse ac universum terrarum orbem necessario in errorem induxisse, donec venerint rationalistæ ad errorem hunc detegendum. Quod quam absurdum et impium dictu sit, nemo non videt. 3. Quia falsa est, mythicas narrationes jam prodixisse ab ipso evangelicæ prædicationis exordio. Neque hoc evincit locus citatus ex Luc. I. Si enim bene attendatur Lucae textus, patebit ipsum contrarium dicere; ait enim Evangelista: *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in nobis completae sunt, rerum, sicut tradiderunt nobis, qui ab initio viderunt, et ministri fuerunt sermonis, visum est et mihi, etc.*; quibus postremis verbis ostendit se non solum non improbare eos, qui ante ipsum litteris res a Christo gestas consignarunt, verum et se cum illis conferre; quod non fecisset profecto, si falsas ac mythicas narratio-

edidit suum *Comment. theol.* Bonn. 1821). Pustkuchen (*Untersuch. der bibl. Urgesch. seu, Inquisitio biblicæ historiæ primitivæ*, Hall. 1823), Rosenmülleri (in suis *Scholiiis in Genes.*), De Wette (in *Dogn. 1*, § 108), Ewald (in *Gram.* p. 243), Köster (in suis *Meletematis criticis et exeget. in Zachar.*), Gesenii (in *Isai.* 65, 9), aliorumque non paucorum; sed de hoc auctore ac de hoc argumento iterum sermo erit suo loco.

(1) Ex protestantibus, seu potius socinianis, qui excelluerunt in hac calumnia disseminanda, de platonismo sanctorum ecclesiæ patrum primis præsertim ecclesiæ sæculis, primas obtinet Clericus, ut patet ex ipsis *Bibliothèque universelle*, tom. X, p. 181, *Bibliothèque choisie*, tom. XII, p. 215, *Ars critica*, pag. 41, § 2, ch. 11, pag. 556, *Epist. VII, critica*, p. 268, et auctor *Platonismi detecti*. Hos auctores veluti servum pecus secuti sunt rationalistæ, qui in dogmate de Trinitate, de divinitate Verbi non aliud vident nisi platonice placita, in patribus vero non nisi totidem platoniceos. Hos inferius recensebimus. Interea præstat afferre textum Clerici, ex quo recentiores hausserunt suas ideas; sic porro scribit Clericus in sua *Arte critica*, vol. I, pag. 556: « Veteres christiani, qui per aliquot sæcula platonice fuerunt, cum legerent Scripturas, ut ex ea religionis christianæ systema quoddam colligerent, platoniceas suas notiones Scripturæ notionibus ubique miscuerunt; et quod in Scripturis non legebatur, quodque credi volebant, ex ea deduxerunt consecratis, non ex uno fonte derivatis, sed ex Platone atque ac ex Prophetis. » Huic in omnibus subscribit auctor *Platonismi detecti*. Ast istorum audaciam fregit doctissimus P. Baltus in opere quod inscribitur: *Défense des ss. Pères accusés de Platonisme*, vol. unie. in-8, Paris, 1711. Quod quidem opus divisum est in IV libros, in quorum I. ostendit Cl. auctor patres minime institutos fuisse in philosophia platonice, falsumque esse philosophiam istam regnasse in ecclesia primis sæculis; in II nunquam patres sectatos fuisse platonice placita; in III patres rejecisse, imo et refellisse circa omnia puncta Platonem ejusque philosophiam; in IV disjicit rationes, quibus leviter permoti sunt II qui patres platoniceis accusarunt.

nes illi concessissent (1). 4. Sed dato etiam, quod illi ita se gesserint, numquid sequitur eadem ratione sese gessisse Scriptores Sacros? digna rationalistis dialectica (2).

II. Inst. In Libris Sacris, sub illo Trinitatis velamine, alius quidam doctrinae typus aperte est traditus, ab illo quidem dogmate alienus, sed cum sana ratione optime congruens; quo jubemur 1. agnoscere unum verum Deum, qui numen sit absolute perfectum (Matth. XIX, 17, coll. Marc. X, et Luc XVIII, 49), ac solus adorandus (Matth. IV, 10; Marc. XII, 29 et 30, coll. 34; Joan. IV, 23), ab ipsoque Jesu adoratur (Matth. XXVI, 39 et 42; Luc. XXIII, 46; Joan. XVII, 1 et seqq.), 2. et Jesum Christum (qui vel digressus e terris homo simpliciter appellatur Act. II, 22 et XVII, 31; Rom. V, 15; I Tim. II, 5. cf. I Cor. XV, 21), ut legatum Dei (Matth. VII, 21; Joan. XVII, 3. cf. XI, 42) Deoque quidem eum legante, a quo ipse Jesus sese aperte discernit (Joan. XVII, 3 et XX, 17 et 21) longe inferiorem (Matth. XIX, 17; XX, 23; Luc. XXIII, 46; Joan. XIV, 28 et X, 29 et seqq. XVII, 22 et 24; I Cor. III, 25 et XI, 3; XV, 27 et 28). Hunc ipsum purioris doctrinae christianae typum sequamur.... Sic Trinitatis dogma ad hanc formulam revocare licet: Deus Pater ut Spiritum sanctum sese per Jesum Christum hominibus manifestavit (3).

(1) Neque iis assentiendum putamus qui his verbis s. Lucam hic cerinthidarum, basilidarum aliorumque haereticorum scripta notare putant, siquidem nondum illa prodierant; neque, si cum haereticis impiisque hominibus res sibi esse Lucas intellexisset, haud leviter adeo illos perstrinxisset, aut in eorum ferme numerum semetipsum adscripsisset, dicens: *Visum est et mihi*. Sed neque Maldonato acquiescimus, qui putat s. Lucam respexisse ad Evangelia Matthaei et Marci; cum plura sint quae obstant, ac, ceteris omissis, quod illis, de quibus loquitur Evangelista, aliquam notam inurat negligentiae. Dicendum propterea eum loqui de iis tantum, qui, cum fando solum eventa, de quibus scribebant, ab apostolis accepissent, nihilominus audacter animum ad scribendum appulerant, antequam omnia diligenter a principio assecuti essent; cum quibus ita se comparat, ut non solum eorum exemplo se tucatur, sed ut aliquid praeterea sibi praesidium adesse innuat, quo illi caruerunt; ut constat ex v. 4, ubi addit: *Ut cognoscas eorum, de quibus eruditus es, veritatem, et apostolorum, tutissimam* nempe, atque, ut ita dicam, *indubiam certitudinem*; quam minime assecutus esset Theophilus, si in memoratas tantum narrationes incidisset. Non est igitur nisi absurdum rationalistarum commentum, quod ipsi oggerunt de mythicis narrationibus ac falsis mature, ut ipsi aiunt ex hoc Lucae textu, in medium emissis.

(2) Certum est s. Joannem legisse atque probasse tria Evangelia, antequam suum conscriberet; ut fidem faciant Euseb. *Hist. eccles.* lib. III, cap. 24, edit. Vallesii; Clemens Alex. apud eundem, lib. VI, cap. 14; Hieronymus, *De viris illust.* cap. 9; ut posteriores scriptores et patres mittam, qui idem testantur.

(3) Ita rursus Wegscheider § 95, ubi notanda sunt duo monita, quae ibi appingit, dicens: « Simul vero hocce utrumque, tum opinionem super hoc dogmate quamvis summa cum indulgentia esse tolerandam, modo ne virtutis nervos infringat, tum doctribus publicis in pertractanda ista doctrina caute esse versandum, ne vel conscientia oneretur Christiano-

Resp. Ad 1. N. A. Non enim typum, sed ipsum Trinitatis dogma Sacrae Litterae tradunt, ut ex adductis probationibus ostendimus, ac magis confirmabitur ex dicendis. Neque enim cum hoc dogmate pugnant, quae de Dei unitate indicata loca ab adversario praedicant. Namque per mysterium ss. Trinitatis nec inducitur deorum pluralitas, nec quidpiam detrahitur summae simplicitati Dei ejusque omnimodae perfectioni, quam catholica doctrina profitetur, secus ac supponere videtur adversarius. Utique Deus solus adorandus est, ipsum coluit et adoravit Christus in terris, sed prout homo est. In doctrina catholica haec omnia bene cohaerent, nec quidpiam difficultatis praese ferunt.

Ad 2. D. A. Jesum Christum ut Deum simul et filium Dei jubemur agnoscere, C. ut purum hominem ac simplicem Dei legatum, N. Si adversarius commemorat Scripturae loca, in quibus Christus simplex homo, ut ipse ait, appellatur, cur illa dissimulat, in quibus idem Christus Deus et Filius Dei dicitur, quae innumera prorsus sunt? Si testimonia recenset, in quibus Christus se distinguit a Deo, id est, a Patre, cur non etiam recenset ea, in quibus se unum dicit cum Patre suo (Joan. X, 50 et XVII, 41 et 22), in quibus profitetur se in Patre esse et Patrem in se (ibid. X, 38; XIV, 40 et 20; XVII, 21)? Id ipsum dicatur de Deo eum legante, ita enim legatus est, ut exiverit a Patre (Joan. XVI, 28), ut processerit a Patre, seu a Deo (ibid. VIII, 42; VII, 29), qui sit Unigenitus a Patre (Joan. I, 14), et in sinu Patris (ib. 18), qui sibi aequalem potestatem tribuerit cum Patre suo (Joan. V, 17, 18 et 26), qui esset in caelis, dum loqueretur in terra (Jo. III, 13), qui demum longe inferiorem Deo legante (quae glossa est adversarii, nesciam enim hoc in Scripturis occurrat) se dixerit, ita tamen ut aequalem pariter se Patri esse profiteatur (Joan. V, 48) et Deum (ibid. X, 50, coll. 55). Quae quidem testimonia suo loco expendemus. Interea hic habetur specimen male fidei rationalistarum, qui ut sua effutiant, ac venditent, quae convellunt haec sua figmenta, vel dissimulant, vel, prorsus

rum per intelligentiam provectorum (vide impudentiam non ferendam, loquuntur isti de conscientia, cum ipsi nullam habeant, et se provectores vocare audent, quasi vero omnes, qui a Christo ad nos usque crediderunt dogma Trinitatis ac strenue propugnaverunt, totidem essent infantes cum ipsis comparati!) vel imbecilliorum religio offensionis aliquid capiat. Adeo fidem se rem totam concessisse timidi hi insipientes! Hinc Schleiermacher, *Der Christl. Glaube*, seu *Fides Christiana*, vol. II, pag. 694, inquit: « Ex rei natura est, quod, quo diutius Trinitatis doctrina immutata in suis hodiernis determinationibus consistit, illi, qui cum difficultatibus ac imperfectionibus quarundam formularum reconciliari nequeunt, asserant cuncta se in hac Trinitatis doctrina negare, quamvis ipsorum pietati minime desit ex eo, quod proprie christianum constituit. Quapropter nobis cavendum est, ne, quidquid antitrinitarium est, tanquam haereticum et anti-christianum rejiciamus. Sed quo magis hoc excrescere cernitur, eo magis excitemur ad ecclesiasticam: hac de re expositionem novo examini subijciendam; et nisi nos ipsi praeparavimus, saltem posteritati, dimisso antiquato, reformationem, quae praesenti affinium idearum statui conveniens sit, liberam relinquamus.»

omni abjecto pudore, passim accusant Scriptores Sacros assentationis, inscitiae (1), contradictionis, seu pugnae, aliave ejusmodi blasphemando pronunciant (2).

Ex falsis ejusmodi praemissis pronum est rejicere impias consecutiones, tum de typo purioris doctrinae Christianae qui est per antiphrasin intelligendus, nempe doctrinae antichristianae, tum de formula dogmatis Trinitatis, quae non est nisi formula dogmatis antitrinitarii, cujus nullum vestigium occurrit in antiquitate ante socinianos, si excipias execrabiles haereses ebionitarum, Pauli Samosatani ac photinianorum, quae obsoleverant, donec e cineribus suis excitatae denuo fuerint ab his novis gnosticis, qui assentationis, erroris et imperitiae arguunt apostolos et evangelistas, ad lumina sua substituenda ac diffundenda profecto longe puriora per subversionem totius revelationis divinae ac supernaturalis.

II. Obj. 1. Idem Christus (Joan. XVII, 5) sic Patrem alloquitur: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum*. Ex quibus ita Crellius: Deus verus, de quo hic loquitur Christus, est Deus summus; atqui ex Christi verbis hic est solus Pater; ergo reliquae personae non sunt Deus ille summus. 2. His consonat Apostolus, qui (I Cor. VIII, 5 et seqq.) scribit: *Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in caelo, sive in terra (siquidem sunt dii multi et domini multi); nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum, et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum*. Ubi Paulus, explicans quis sit ille unus Deus, simpliciter dicit eum esse Patrem, non Patrem Filium et Spiritum Sanctum. Atqui nulla ratione fieri potuisset, ut Paulus, explicaturus quis sit ille unus Deus, Patris tantum mentionem faceret omissis personis aliis, si Deus ille unus non tantum Pater esset, sed et Filius et Spiritus Sanctus (3). Ergo.

(1) Exemplo sint ea quae habet Boehme, *Die Religion Jesu Christi...* seu, *Religio Jesu Christi a sua origine repetita*, Hall. 1827, p. 49. et seqq., edit. 2, nempe Scriptores Sacros pro manca, quae est veri incultioris, scientia sibi ipsis non constituisse in iis, quae de ideis et notionibus suis exposuerunt. Sic Wegsch. § 85; Jerusalem, *Nachgel. Schriften*, seu, *Opera posthuma*, I, p. 157 et seqq.; Munscher, *Dogmen-Geschichte*, etc., seu, *Historia dogmatum*, vol. I, p. 416 et seqq., Ammon. *Bibl. theol.* I, 192 et seqq. Idem opuscula theologica, Gott. 1805; *Comment. I, de prologi Joannis evangelistae fontibus et sensu; Idem Summ. theol. christ.* p. 450 et seqq.; Plura de consensu Scriptorum Sacrorum, in primis Pauli Apost. cum doctrina Philonis commentum est Stahl apud Eichhorn, *Bibl. Litter.* IV, 826 et seqq. etc. Qui omnes de praerogativa impietatis certare inter se videntur.

(2) Exempla non pauca in decursu hujus tractatus exhibebimus.

(3) Hanc eandem difficultatem jamdiu ariani promoverant, et abunde a patribus soluta ea fuit, praesertim a s. Hilario, *De Trin.* lib. IV, v et IX; Ambrosio, *De fide*, lib. V, cap. 3; Epiphano, *Haer.* LXIX; Greg. Nazianz. *Orat.* IV, theolog.; Basilio *Cont. Eunomium*, lib. V; Cyrillo Alex. *Thesauri*, lib. X, cap. 6; August. *De Trin.*, lib. VI, cap. 9, etc. Hanc postea instauraverit sociniani, praesertim Crellius, *De uno Deo patre*, lib. I, sect. 1.

Resp. Ad 1. *Neg. Maj.* Vox enim *solus* non exprimit subjectam, sed attributum perinde ac vox *verus*, prout exposcit constructio graeci textus: *ὁ θεὸς ὁ μόνος ἀληθινὸς Θεός*. Id est, *Ut cognoscant te solum verum Deum*. Hinc Christus illa sententia a consortio divinitatis non excludit nisi falsos deos et vana idola gentium, ita ut sensus sit, sitam esse vitam aeternam in cognitione unius Dei et Incarnationis Filii ejus, nempe Jesu Christi (1). Quinam autem sit solus verus Deus, alibi Christus declarat, praedicans divinitatem Spiritus Sancti. Recolantur dicta in probationibus.

Ad 2. *Dist. maj.* Explicans, seu potius declarans, quis sit ille unus Deus ut excludat deos gentium, C. ut excludat divinas personas N. Hanc enim expositionem postulat integra Pauli sententia, etsi expresse solum Patrem Deum nominet. Instituit enim Apostolus antithesin inter deos et dominos, quos colebant ethnici, et Deum ac Dominum quem colunt christiani; quoniam vero dominos illos ut deos habebant, Apostolus opponendo illis unum Dominum Jesum Christum, aperte ostendit, se Christum Jesum non excludere a consortio divinitatis. Alioquin si velit Crellius insistere in vocibus illis: *Unum Deum Patrem*, quasi excluderetur Filius a divinitate, deberet pariter insistere in aliis: *Unum Dominum Jesum Christum*, quibus Pater excluderetur a dominatione, quod est absurdum. Hinc sua disputatione Crellius non labeffectat catholicam doctrinam, sed suam potius evertit. *Neg. autem min.* quia plures potuerunt esse causa, ob quas illam loquendi rationem Paulus usurpaverit, quas recenset Petavius (2).

Eadem ratione explicari debet, quod tertio loco urget idem Crellius ex *Ephes.* IV, 6; ubi dicitur *Unus Deus, et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis*; dixit enim proxime ante: *Unus Dominus, una fides, unum baptismum*. Dominum autem hic Christum esse fatetur Crellius, hinc eadem adaptanda responsio huic textui, quae modo alteri data est. Eadem enim est ratio (3).

PROPOSITIO II. — *Tres sunt in una divina essentia personae realiter distinctae.*

Probatur speciatim ex I Joan. V, 7, utpote authentico et genuino (4).

Veritatem catholicam mysterii ss. Trinitatis ex

(1) Cfr. Maldonatus in hunc locum qui eum fuse evolvit, et ostendit invictissime, his verbis non excludi nisi sola idola gentium a consortio divinitatis. Id ipsum praestitit Petavius, *De Trin.* lib. III, cap. 1, ubi plura habet observatione digna. Cfr. etiam Maran, op. cit. lib. I, part. 2, cap. 21, § 1 et 2.

(2) Loc. cit. § 4 et seqq. Item Maran, loc. cit. § 3.

(3) Observat autem s. Joannes Chrysost. *Hom. XX in I Cor.* num. 3, edit. Maurin. Paulum, neque voluisse illo loco appellare Jesum Christum Deum, neque Patrem Dominum, ne cum Deum ac Deum, Dominum ac Dominum audirent Corinthii, plures esse Deos suspicarentur ac Dominos, et in antiquam superstitionem relaberentur, in qua plures dii erant ac Domini. Hanc eandem esse causam addit, cur neque Spiritus Sancti meminerit, ut illorum imbecillitati consuleret.

(4) Hae propositio spectari potest velut appendix